

120.
Ex Consensu

Ven. FACULT. THEOLOG. Reg. Acad. Aboënsis
PRÆSIDE

SUMME REVERENDO & CELEBERRIMO VIRO,

DN. ANDREA BERGIO,

S. Theolog. DOCTOR, PROF. Primar. ARCHI-
PRÆPOS. Eccles. Svecan. Aboëns. & Fen. Nummenſ.
PASTOR.

Disquisitionem hanc Theologicam

De

LIBRORUM SYMBO-
LICORUM
DIGNITATE

IN ECCLESIA EVAN-
GELICO - LUTHERANA

Candidæ piæque explorationi subijcit

Magist. JACOB. ABRAH. ALANUS

S. N. J. A. A. D.

Die XXIV. Aprilis A. R. S. MDCCLXII.

hor. a. m. solitis,

In Auditorio Maximo.

ABOË,

Impressit JOH. KIEMPE, Reg. Univers. Typogr.

A
MONSIEUR Le SENECHAL
SAMUEL BLOMFELDT,


CE seroit pour moi une marque de temerité de Vous offrir, MONSIEUR, ce petit ouvrage. & je n'oserois mettre à la tête VOTRE genereux NOM; Si d'ailleurs je n'étois entièrement convaincu par une longue expérience, que VOUS VOUS faites un honneur d'être Le MECENE, & Le PROTECTEUR des gens de Lettres. Et en particulier je me souviens, avec beaucoup de joye de l'amitié, qui fut autrefois entre VOUS & feu mon Pere ABRAHAM CLAUDE ALANUS PROFESSEUR en Theologie de cette Academie. Ainsi j'espère, que VOUS ne dedaignerez pas de continuer VOTRE faveur envers son fils, qui s'estime très heureux de pouvoir se rendre digne de VOTRE grace & bienveillance: C'est pourquoy je prends la hardiesse de VOUS dedier cette dissertation: Priant DIEU de tout mon coeur, qu'il VOUS conserve en parfaite santé, & qu'il VOUS comble de toutes sortes de prosperités, aussi bien, que toute VOTRE noble famille. Au reste je sois, avec tout le respect possible, & avec toute la reconnaissance imaginable,

MONSIEUR,

VOTRE

très-humble, & très-obéissant
Serviteur

JACQUES ABRAH. ALANUS



S. I. A.

§. I.

Prestantissimos Ecclesie nostrae Libros Symbolicos merito ut caeleste depositum praedicamus. Hoc enim *DEUS* Optimus Maximus, post verbum suum, veritatis aeternae voluit esse testimonium, & quasi quoddam propugnaculum, ad quod hostes veritatis Divinae si alliderent, velut ad muros aeneos contererentur. Hinc est, quod nemo, nisi qui partium studio, aut fascinatione occupatus fuerit, huic deposito vel derogare, vel obloqui ausit. Habent hoc pretium ex eo, quod e limpidissimis Israelis fontibus per Viros pios & doctos sint consignati. Non una autem Doctorum Ecclesiae nostrae in hoc axioma determinando est sententia. D. *GESNERIUS* (*) de *FORMULA CONCORDIAE* sermonem instituens ait: *Non quidem illa voce Divina immediate est edita, sed tamen per diligentem verbi Divini meditationem Patribus nostris a Spiritu Sancto est inspirata, verboque DEI abunde comprobata.* Huic opi-

A

nioni

(*) *Disput. I, c. I.*

nioni favet etiam D. HUTTERUS in explicatione ejusdem Libri (β): *Auctorem*, inquit, *primarium constituimus ipsum DEUM Spiritum Sanctum*, usque adeo, ut *θεοπνευστος divinitus inspiratum appellare minime dubitemus*. Et D. MILIUS de Auctore AUGUSTANÆ CONFESSIOIS docet (γ): *Si ad prima principia veniendum sit, Spiritui Sancto Auctori primario ac summo Scriptum hoc acceptum indubitate referimus, quia enim Sacrarum Scripturarum fundamento solo totum nititur, θεοπνευστος illud appellare jure optimo & possumus & debemus*. Altisonam hanc tubam longa postmodum serie inflare conati sunt Viri eruditionis fama & celebritate incliti, DORSCHERUS (δ), DANNHAWERUS (ε), PFEIFFERUS (ζ), & VALENTINUS ALBERTII (η), qui ratione materiei & objecti, hanc θεοπνευστίας interpretantur. Prodeunt etiam in hoc stadium HANNEKENIUS (θ), aliique per plures, qui ad formulas loquendi & phrasium applicationem, hanc θεοπνευστίας extendunt. Recentiores vero Theologi tantum non omnes existimant hunc titulum Libris Symbolicis non convenire (ι), idque non immerito. Nam vox θεοπνευστίας soli verbo Dei est propria, & semel tantum in S. Scriptura

(β) In comment. prolegom. (γ) In comment. ejusdem Libri. (δ) De Auctoritate AUGUSTANÆ CONF. (ε) In Cbristide. (ζ) In Gerechter sache. (η) Comment. in AUGUST. CONFESS. (θ) Comment. in A. C. p. 9. (ι) SPENERUS in der übereinst. mitt der AUG. C. Art. prol. V. Thef. 1. §. 1. p. 67. seqq. Add. MAJUS in Theol. Symbol. p. 5. 42. WALCHIIUS in Introductio. in L. S. JAC. HENR. BALTHASAR de RELIG. CHRIST. p. 27. 28. JO. WILH. LÖPER. de A. C. p. 6.

ptura eminenti in significatione occurrit (x) *talemque* notat influxum Divinum, quo intellectui amanuensium suorum immediate DEUS infudit & ideas rerum, & conceptas simul voces, quibus res ille commode riteque exprimerentur, ut dum scriberent, & res & voces animo impressas in numerato haberent, DEO immediate in mentem ipsorum juxta ac in actionem scribendi externam influente ac agente (A). Qvi ergo Libros Symbolicos mediate Θεοπνευσίας vocant, genuinam vocis significationem deserunt; atque idem de illis dici potest, quod de mediatis revelationibus pronuntiavit JO. SCHMIDTUS(u); Turpis est contradictio, dicere velle se habere propheticas revelationes ex verbo Divino. Si enim proprie sunt propheticae revelationes, non sunt mediatae, aut, si sunt mediatae non sunt proprie revelationes propheticae. Ne igitur adversarii hinc occasionem captent calumniam adhibendi, quasi Libros nostros Symbolicos eadē ac S. Scriptura auctoritate pollere statueremus, tutius hæc Θεοπνευσίας appellatio soli verbo DEI tribuitur, quod Θεόπνευστος esse certo constat (v). Absit vero, ut Theologos, qui Θεοπνευσίας Librorum Symbolicorum adserunt in invidiam cum ARNOLDO (ξ) adducamus, cum hac in re satis bene sese explicaverint. Singularia equidem providentiæ Divinæ documenta circa Libros Symbolicos, venerabundus agnosco, inde tamen nulla veri nominis Θεοπνευσία emergit. Hinc nonnulli sublimio-

A 2

ris

(x) II Timoth. III. 16.

(λ) JO. GOTTL. CARPZOV, Crit. Vet. Test. p. 43. (μ) Prolegom. Comment. in Propb. Minor. (ν) Conf. JO. BENEDICT. CARPZOV, disp. de Θεοπνευσία S. S. §. 34. (ξ) Kirshen und Ketzer Historie T. II. p. 224.

ris doctrinae Mystæ hos Libros dicere maluerunt
μεγαλὴν τὴν θεοῦ, quum *θεοπνευσίας* vocabulum non tatis
 sit congruum. Quod si *θεοπνευσίας* hujus vindices
 obiciant; Librorum Symbolicorum dignitatem non
 posse sub alio axioma tiori defendi; respondeo:
 Dignitas Librorum Symbolicorum tatis superque ex
 eorum tam interna quam externa constitutione sine
 hujus *θεοπνευσίας* adminiculo evinci potest.

§. II.

Quamvis Libris Symbolicis nulla assignari queat
θεοπνευσία, non tamen pro scriptis mere humanis
 habendi sunt. Etenim si respicias causam efficientem
 (ο), ministerialem (π), materiam (ο), formam (σ),
 finem (τ), adjuncta & consequentias (υ), omnia
 hæc

(ο) Causa efficiens Librorum Symbolicorum est **DEUS UNI-
 TRINUS** speciatim vero Spiritus Sanctus, qui singulari
 sua gratia, qua excitare solet ad heroica testimonia &
 martyria sanguinolenta, ipsos pios Confessores instruxit, ut
 tantum opus perficere potuerint, quod viribus humanis
 obtineri nunquam potuisset.

(π) Causam ministerialem Ecclesiam Lutheranam meri-
 to appellamus, quæ statibus protestantibus, & Theologia
 Cordatis, immo nonnullis Consiliariis politicis repræsentaba-
 tur. Vid. CYPRIANI HIST. AUGUST. CONFESS.

(ο) Materia est verbum DEI. Conf. Præf. AUG. CONF.
 ad Imp. CAROL. V.

(σ) Forma est judicium Ecclesiae publicum verbo DEI con-
 veniens de fidei articulis tum temporis in quaestionem Ven-
 nientibus, atque dispositio & modus tractandi.

(τ) Finis est vel Symbolicus, vel Henoticus, vel Apologus

hæc splendida & magnifica sunt, quæ simul sumta
 in nullum aliud scriptum humanum quadrare pos-
 sunt. Et cum termino traditionum humanarum
 indigentur doctrinæ & præcepta morum præter
 verbum *DEI* humano arbitrio inventa (⊙), liquet
 Libros Symbolicos his non esse adnumerandos. E-
 juscemodi enim naniis & corruptelis scatet papatus,
 quæ si Libris Symbolicis attribuantur, omnem iis
 auctoritatem & decus eripiunt. Abstinentum ergo
 est a titulis, formulis & epithetis, quæ ne quidem
 umbram τῆ καλῆ habent.

§. III.

PRæterea Libris Symbolicis hæc competit dignitas,
 ut pro norma professionis doctrinæ fidei, seu de
 fide, haberi debeant. Normæ vocabulum heic deno-
 tat id, ad quod, aliquid quacunque ratione examina-
 tur. Ad Libros autem Symbolicos examinatur modus
 proponendi, confitendi, & defendendi, fidem, non ita
 tamen quasi ii propria normandi virtute gauderent,
 sed ea tantum, quæ veritatem ex S. Scriptura pro-
 batam instar fulcri ponit, quam Theologi alias ap-
 pellare solent normam fidei Ecclesiasticam, seu quod

ad
ticus Vid. *CARPZOV. Isagog. in Libr. Symbol. p. 6. 45. 46.*
p. 7. p. 20. Alii cum *BOTSACCO* in brev. Theol. c. II.
hunc finem in μαρτυριῶν, ἰσορροπῶν, & διαφωτιστικῶν distribu-
unt.

(v) Adjuncta & consequentiæ sunt gravi consilio su-
 scripta conscriptio, examinatio, comprobatio, subscriptio,
 prælectio, exhibitio, &c. conf. *CARPZOV. l. c. SCHMID-*
DII & DORSCHER differt. secular.

(⊙) *Matth. XV. 2. 3. 9.*

ad Ecclesiam attinet. Sunt alii, qui Libros Symbolicos normam discretionis vocant, quia nos segregant ab illis, qui sentiunt diversa. Alii normam cognitionis, cujus beneficio in cognitionem quarundam veritatum & conclusionum deducimur. Alii adhuc longius progrediuntur statuendo illos esse normam fidei generandæ ipsiusque adeo doctrinæ, at cum hi sine fundamento pro certo & probato sumant Libros Symbolicos esse *θεοπέποιετος* (§. 1.) admitti non potest. Qui vero illud normæ officium quod est dijudicativum & decisivum ipsis adscribunt, Libros Symbolicos cum *S. Pandectis* confundunt (x). Rectius alii sentiunt, licet barbare loquantur, qui hos Libros normam normatam seu secundariam, vel non constitutivam nominant.

§. IV.

AT obijciunt heic anti-Symbolistæ *Non opus esse norma secundaria cum ad manus sit primaria* Et addunt: *satis esse formularum in S. Literis, adeoque sine Symbolis defendi posse veritatem, hinc per multa secula nulla floruerunt.* Respondeo: Si primaria norma recte applicetur, vel etiam recte applicari soleat ab omnibus, tum admitto hoc, alterutrum vero si desit, opus est secundaria. Illustrabo rem simili: Sol prout intervalla temporum, annos, menses, dies, & horas, distingvit, sic norma est actionum civilium, quam quidem præ oculis esse omnium nemo facile negaverit. Nihilominus cum normam istam non omnes

(x) *Esai. IIX. 20. Psalm. CXIX. 9. Gal. VI. 16. Conf. etiam FORMUL. CONCORD. strict. sic dicta p. 1.*

omnes applicare didicerint, sæpe etiam nubes & nebulæ observandi studio ductis sese obiciant, opus est horologio, quod temporis cursum per horas dimensum sistat, cujus deinde posito, exploratoque eum sole perpetuo consensu, si cives ad præscriptum ejus actiones suas componant minime falluntur. Quæ quidem facile ad Symbola & S. Scripturam applicari possunt. Sententia enim S. Scripturæ etsi in se satis clara & perspicua sit, multi tamen vel mediis hermeneuticis destituti non assequuntur, vel præjudiciis occupati cum assequi possent, nolunt (ψ). Quæ præjudiciorum tenebræ, ne innocentium offundantur oculis, opus ex accidenti est Symbolis, quibus vera sistatur & vindicetur sententia. Mali proinde homines illato suo sensu S. Scripturam in peregrinam plerumque torquent sententiam. Ergo multiplicatis erroribus multiplicandi sunt obices, novisque insidiis novæ opponendæ sunt artes. *Etsi Symbolorum verba non sunt clariora verbo DEI, sunt tamen corruptelis avertendis & evertendis propius accommodata, ut loquitur D. DORSCHELLUS (α).* Quod adhuc dilucidius fiet exemplo: Cum **ARIUS** æternam **CHRISTI** impugnaret divinitatem, Patres clarissima quæque opponebant S. Scripturæ testimonia & oracula, hic vero pleraque mira calliditate & malitia eludebat, ut videre licet apud Pappum (α). Ipsa itaque necessitas compellebat Patres Nicænos

(ψ) II. Corinth. IV. 4. (α) In diatypof. concil. Nicæn. Sect. 1. §. 47.

(α) In compendio Histor. Ecclesiast. p. 278.

cænos ut, vocabulum *ὁμοῦσις* ab EUSEBIO NICOMEDI-
 ENSI ARIO hæresiarchæ suppeditatum, arriperent. Id-
 que prudentissimo deinceps consilio ceu notam or-
 thodoxiæ defenderunt. Ad illud vero, quod per mul-
 ta secula nulla floruerunt *Symbola*, repono per instanti-
 am: Ecclesia Sacramentis & verbo Dei scripto diu
 caruit, & tamen horum necessitas hodie recte statui-
 tur & creditur. Distinguendum quoque est inter
 necessitatem absolutam, & secundum quid, poste-
 riori modo Libri Symbolici sunt necessarii, nimi-
 rum ad informationem simplicium, ad dete-
 gendos falsos fratres, ad concordiam in Ecclesia ser-
 vandam & ad hostium veritatis calumnias amoven-
 das. Hac igitur ratione propulsis adversariorum te-
 lis, aliud axioma, mihi est penitendum.

§. V.

ATque hoc est ipsa immunitas Librorum Sym-
 bolicorum ab erroribus (β), quod scilicet at-
 tinet ad dogmata fidei & morum, certasque phrasas,
 data opera adsertas vel rejectas (γ). Hinc D. SPE-
 NERUS de Libris Symbolicis rotunde affirmat (δ):
*Das Gott die Auctores der Symbolischen Bücher gnädig be-
 waret, das sie in der Lehr nicht gefehlet.* Quæ ergo
 objici solent paroramata in hermeneuticis & histori-
 cis

(β) Per immunitatem ab erroribus indigito infallibi-
 litatem non originariam; sed limitatam & e Sacra Scriptu-
 ræ fonte purissimo tanquam principio derivatam.

(γ) Confer. Artic. IV. AUGUSTE CONF. de Justif. Art. V. de
 minister. Verb. &c. &c.

(δ) L. c. Thes. V. §. 5.

cis, nec non alia paullo obscuriora in locutionibus quibusdam incommodis, non sunt odiose exagitan-
da, sed potius excusanda, & quantum fieri potest
vinducanda (ε). Hoc quidquid sit, verissimum ta-
men est Libros Nostros Symbolicos plenissime ex-
actissimeque cum sacris Oraculis contentire, ut in
dogmatibus minimum nihil occurrat, quod Sa-
cris Literis sit adversum. Etenim cum Auctores
Librorum Symbolicorum verbo DEI unice innixi
sint, eiqve rationem submiserint, eo ipso, quo ad
normam verbi Divini opus suum elaborarunt, ab
errandi periculo fuerunt immunes. Nam quemad-
modum qui ducem viæ gnarum lucemque præte-
rentem sequitur, eo ipso quod sequitur, & quam-
diu sequitur, errare non potest, sic Ecclesia & o-
mnia Ecclesiæ membra quamdiu vocem Iponi & Spi-
ritus Sancti lucem præferentis sequuntur, erroris nesci-
unt tangi confinio. Quod ipse Vitæ AUCTOR CHRISTUS
clarissime monstrat dum inquit (?): *SI MANSERITIS
IN SERMONE MEO, VERE DISCIPULI MEI ESTIS.* Ap-
paret igitur Auctores nostros in suo officio in o-
mnem ductos fuisse veritatem.

§. VI.

HÆc ipsa veritas in dogmatibus Librorum Sym-
bolicorum maxime conspicua, effecit etiam, ut

B

apo-

(ε) Primus ex nostri ordinis Theologis, sed non solus, qui
paroramata Libris Symbolicis objectus erat D. GEORG. CA-
LIXIUS Confer. Disp. SEELIGMAN. de Auctoritate
Libr. Symbol. non repudianda §. 9. seqq.

(?) Joan. VIII, 31. Vid. etiam Matth. X. 18. seqq. Marc. XIII.
11. Luc. XII, 11. Joan. XVI, 13. Epb. IV. 11. Seqq.

apophtegmatibus satis honorificis Libros hosce ornaverint quoque ii, qui Pontificiorum alias religioni addicti fuerint. Ipse Imperator *CAROLUS V.* de prælecta *AUGUSTANA CONFESIONE* dixisse fertur (n): *Utinam totus ita sentiret orbis; Protestantes in fidei articulis non errant.* Episcopus Augustanus hæc adseruisse dicitur (9): *Quæ recitata sunt, vera sunt, pura sunt, veritas, non possumus inficiari.* *ECCLIIUS* quoque de *AUGUSTANA CONFESIONE* pronuntiavit (1): *Eandem ex S. Scriptura refelli non posse.* Hinc jure meritoque complexum Librorum Symbolicorum Nostrates passim appellant: Malleum hæreticorum, Scholam imperitorum, schismatum obicem, falsitatis sequestrem, verorum Christianorum lapidissimam escam, invissimum refrigerium, imo pharmacum saluberrimum.

§ VII.

Dignitas itaque Librorum Symbolicorum nec est absolute Divina, nec absolute humana, sed Ecclesiastica. Quæ complectitur non tantum con-
 signationem a Theologis factam in vicem Symboli, verum etiam ipsam approbationem & receptionem ab Ecclesia *γρησιως* Lutherana. Quam indivulso nexu sequitur ipsa obligatio, membra ejus genuina stringens ad sollicitam eorum observationem, etiam qua illa, quæ legitima consequentia ex verbis deducuntur, præcipue vero Doctores, ut adeo exacte servent *ὑποτάτῳ τῶν ὑγκαιόντων λόγων* in hisce Libris propo-

(n) Vidd. *WALCH.* Introd. cit. (9) Conf. itidem *WALCHIIUS* l. c. (1) *LUTHER.* TOM. V. *JENENS.*

positam, quo nihil vel publice proponant, vel privatim proferant, quod his sit contrarium. Qui se-
cus de dignitate Librorum Symbolicorum judicant,
vel non sunt ex nostris, vel pro nostris minus recte
habentur.

§. VIII.

HÆC ergo *κακήλεια* & clenodia Ecclesiæ nostræ non
tantum magni tacere, sed etiam multa & pia
industria in gloriam DEI, Ecclesiæ commodum, &
nostram salutem usurpare fas est. Novatorum, quos
separatistas Historia Ecclesiastica appellat, ea est pro-
tervia, ut Libros, de quibus loquimur, Symboli-
cos sugillent & contemnant, ac pacem simul in Ec-
clesia per illos partam, utut multo constiterit lan-
gvine, flocciendant, quod ex variis tam scriptis,
quam aliis machinationibus est notissimum. Utrum-
que quam sit perniciosum, illi subsolant, qui pen-
sant hoc modo, & veritatem cœlestem, & con-
cordiam in Ecclesia, atque simul in Politia trans-
quillitatem publicam, inevitabili periculo & confu-
sionibus exponi. Caveamus igitur nobis, ne in pre-
tium his Libris statuendo, a recto discedamus trami-
te, atque vindices *ASTRIPOTENTIS* iras temere
concitemus.

Τρισταγία τῷ Θεῷ Δόξα αἰείπνητος.



12

you will see... (mirrored bleed-through text from the reverse side of the page)

